

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Cothmann Leonhard Andreä

**Anakephalaesis Doctrinae orthodoxae De Spiritu Sancto, Ad Disputandum
Publice Proposita Et Catechesi Racoviensi praecipue opposita**

Rostochi[i]: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739744097>

Druck Freier  Zugang



Vert. : L. Andreas

Joh. Cothmann .
R. N. theol. 1641.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn739744097/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739744097/phys_0002)

DFG

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ

Doctrinæ orthodoxæ

Dē

SPIRITU SANCTO,
AD DISPUTANDVM
PUBLICÉ PROPOSITA ET
CATECHESI RACOVIENSI
præcipue opposita.

Quam

Auxilio D E I, Spiritum S. suprà
Apostolos miraculosè mittentis

Præside

JOHANNE COTHMANNO,
S. S. Theologiæ Doctore & Professore
ordinario.

Habebit in Auditorio majori 9. Junij.

LEONHARDUS ANDREÆ,
Noribergensis.



ROSTOCHI,
Literis NICOLAI KILI, Acad.
Typograph. Anno 1641.



I.

Bernhardus serm. 3. in die pentecostes diversorum hominum diversos indicans mores ait: primi voluptate, secundi vanitate, tertij veritate impleti. Et statim subjungit: Gaudeo vos esse de hac Schola, Schola videlicet spiritus S. ubi bonitatem & disciplinam & scientiam discatis.

2. Ut ergo ultimæ classis hominibus annumeremur animo & corpore à primo & secundo ordine sejuncti, placet in timore Domini, brevem doctrinæ orthodoxæ Spiritus S. instituere ἀνάστασιν, utvel hac ratione occasionem nos à mundo ejusq; pessimis conatibus, & actionibus illaudatis separandi habeamus. Qui n. ferias pentecostales, vel alia vita suæ tempora turpi otio, bovinis boatibus, Nicotianæ herbae cebriore abuso & fumigatione, antehac inter musarum cultores inaudita, impuris helluationibus ἀσωτίαι juxta Apostolum Eph. 5. v. 18. conjunctam habentibus, veletiam Scorissticis vexationibus transfigunt, frustra sibi Spiritus S. præsentiam ac dona grata promittunt. Qui n. opera carnis committunt, eo ipso se fructum Spiritus non habere testantur Gal. 5. v. 21. 22.

3. Invictum enim manebit axioma Apostolicum: Si secundum carnem vixeritis morienni: quod si Spiritu facta corporis mortificetis vivetis Rom. 8. v. 13. Nemo hic sibi imponat aut palpum faciat, dicendo aut cogitando: juvenis sum, libertate utens, non igitur me legibus honestis astringi patiar. Lætabor in juventute mea & exhilarabit me animus meus in diebus juventutis meæ & pergam in vijs animi mei & aspectibus oculorum. Sed tu quisquis es, hæc cogitans, audi quid Spiritus S. ejusmodi impijs hominibus respondeat in Ecclesiaste. c. u. v. 9. Sed cognosce, fore ut propter omnia hæc adducat te Deus ipse in judicium. Et statim addit: amore ergò indignationem ab animo tuo, & averte malum à carne tua, quia adolescentia & pubertas vanitas est.

A 3

4. Hisce

4. Hisce bene consideratis, recordabimur potius creatoris & sanctificatoris nostri à diebus juventutis nostræ, tantisper dum non adveniant dies mali, & pertingant anni quibus dicamus, non est mihi in istis delectatio. Eccl. 12. v. 1. secus facientes, adducet DEUS
כל—כָּל כְּעֹמֶד omne opus in judicium Eccles. 12. v. 14. ubi nūlli excusationi locus erit, sed reportabit unusquisque ea, quæ sunt per corpus, juxta id quod fecit, sive bonum sive malum, 2. Cor. 5. v. 10. Quod si quis hic cogitet ego non ita palam peccavi, delictum meū occultum est, illi responderet Apostolus κύριος Θεός τῷ πονητᾷ τῷ σκοτεινῷ Φανερώσῃ τὸν βελάς τῶν πονητῶν Cor. 4. v. 5.

5. Quia vero verissimum est Augustini dictum Libr. 1. de Iucarnatione verbi. p. 371. De substantia Spiritus S. nec suspicionem ullam habere quis potuit, præter eos qui in lege & Prophetis versati, veleos qui se in Christo credere profidentur. Nam de Deo quidem Patre quamvis dignè proloqui nemo valeat, tamen possibile est, intellectum aliquem capi ex occasione visibilium creaturarum & ex his quæ humana mens naturaliter sentit. De spiritu vero sancto, multæ nos Scripturæ docuerunt. Hactenus August.

6. Unde constat doctrinam hanc de Spiritu sancto, non esse rationis, sed meræ revelationis, ex scripturis divinis desumptæ. Initio quidem bene notandum, vocem spiritus esse ἐν τῷ πνεύμαχῷ λέγομεν, ne ergo vocis ambiguitate decipiatur, antecedentia cum consequentibus scopum & contextum bene consideremus. In præsenti vero materia propria ac nativa vocis spiritus significatio optimè expendenda venit. Quam ut eò melius intelligamus hanc Spiritus Sancti descriptionem ex Dn. Chemnit. repetimus: Spiritus S. est tertia divinitatis persona, non factus, nec creatus nec genitus, sed à Patre & filio ab æterno procedens. In quo Pater per filium creavit universa, visibilia & invisibilia, Angelos & homines, creataque sustentat, conservat & gubernat, missus à Patre per filium visibili specie super Apostolos, & qui invisibiliter quoque mittitur hodie à Patre per filium in corda credentium, ut ea per verbum & sacramenta illuminet, convertat, regeneret, sanctificet, renovet, &c.

7. Circa hanc definitionem id observandum est tertiam hanc personam, non ita habere nomen distinctum sicut prima & secunda. Sic

da. Sic appellatio Patris in relatione ad filium, non competit filio,
neque vice versa, vox filij competit Patri. Nomen vero spiritus ita
Tertiae tribuitur personæ, ut & Pater sit Spiritus, & filius sit spiritus.
Quia dicente Johanne c. 4. v. 24. Deus est spiritus. Hujus rei ratio-
nem veneranda Patrum canities dat hauc; appellationem scil. esse
primæ & secundæ communem. Quia spiritus sanctus est commu-
ne aliquid Patris & filij.

8. Tertia vocatur divinitatis persona, non habito respectu di-
gnitatis, sed tantum ordinis. Sicut enim pater est prima, & filius
secunda persona, non ut ex inde inter patrem & filium inducatur
in æqualitas, manet nihilominus verissimum dictum Christi Job. 10.
v. 30. Ego & pater unus sumus. Item: pater in me & ego in patre
Job 14. v. 10. Hinc *ναγδως* sicut honoratur pater, ita & filius. Qui
enim non honorat filium, non honorat Patrem Job. 5. v. 23. Adeo
ut communis illa creaturarum *δοξολογία*, non tantum dirigatur
in sedentem in Throno, id est, Patrem Apoc. 3. v. 21. sed & agnum
Apoc. 5. v. 13. Et sicut de Patre dicitur quod sit Deus laudandus in fe-
cula Amen. Rom. 1. v. 25. Ita idem in specie de filio affirmatur
Roma 9. v. 5.

9. Spiritum S. personam esse per se existentem communiter ne-
gant Photiniani. Unde Catechismus Racoviensis hac de re actu-
rus cap. 6. pag. 238. inquit: doce me quid sit donum spiritus sancti.
Et subiicit. p. 245. Quoniam docuisti me quid sit donum Spiritus
Sancti, rogo te amplius ut me ulterius informes, an Spiritus sanctus
sit persona Deitatis. Et responderet: Er iste auf keinerley Weise
nicht. Proinde thesis orthodoxa breviter Scripturae fundamentis
est confirmanda, & contraria rationes diluenda.

10. Personalitas ergo Spiritus S. à Patre & filio distincta his ex
scriptura desumptis rationibus confirmari potest. 1. In cuius nomen
æquè baptizamur, ut in nomen Patris & filij, illa est persona per se
subsistens. At in nomen Spiritus S. æquè baptizamur, ut in nomen
Patris & filij. Ergo Spiritus S. est persona per se subsistens. Det enim
Photinianus rationē solidam, quare Spiritus S. non sit persona; cum
adjungatur in officio merè divino personis divinis. Et accuratè ob-
servanda phrasis: in nomen alicujus baptizari, quæ notat jussum

Sive mandatum & auctoritatem Conf. i. Sam 17 v. 45. Matth. 23 v. 39.
Marc 9. v. 39. Hinc Paulus qui erat persona verè subsistens, & baptisini minister non Dominus, negat quemquam in nomine suo baptizatum esse i. Cor. 1 v. 13. Invictum ergò manet, quia in nomen Spiriti S. sicut patris & filij baptizamur, eundem personam esse à patre & filio distinctam.

ii. 2. Qui unā cum patre & filio testimonium dat in cælo. Ille quoq; distincta est persona. Atqui Spiritus S. unā cum Patre & filio testimonium dat in cælo. Ergo. Major. ex i. Joh. 5. v. 7. evidens est, ubi dicitur: tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Sermo, & Spiritus S. Finge jam cum Photinianis Spritum S. non esse distinctam à patre personam, & non tres sed duos tantum habebis testes cælestes, contra expressam Apostoli literam. Sicut autem rectissimè infertur: pater & sermo sunt duo testes cælestes & duas personæ. Ita verè infero: Spiritus S. est tertius testis cælestis, ergo quoq; est tertia persona S. S. Trinit. Hinc elegantur observat B. Chemnit. in L. C. p. 240. ad denotandam Spiritus S. personalitatem genusmutari Joh. 5. v. 26. cum de Spiritu S. in neutro genere dixisset Christus: Τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὁ ωραῖος τὸ πνεῦμα μutato genere subiicitur ἐκεῖνος testimonium perhibebit de me. Ad significandum ibidem loci non esse sermonem de motu creato in creditibus, sed persona Trinitatis. conf. similia loca Matt. 23. v. 19. Gal. 3 v. 16. Col. 2. v. 16. Eph. 1. v. 14. subsistit ergo firmo talo: Spiritum S. una cum patre & filio divinis personis testimonium perhibendo, eo ipso esse personam divinam.

ii. 3. Qui à patre & filio distinguitur tanquam αλλος, non ἐκεῖνος ille vere est distincta persona à patre & filio. At Spiritus S. distinguitur à patre & filio, tanquam αλλος. καὶ ἐκεῖνος Joh. 14. v. 16. 26. Ergo. verba allegati loci sunt clarissima: εγώ εἰσωθησόμενοι πάτερ καὶ αλλος ωραῖος λέγω δώσω. Expressè hic distinguntur: Christus orans, pater quem rogat. Et consolator à patre datus. Item v. 26. Spiritum S. mittet pater in nomine meo ille vos docebit. Finge cum Photinianis Spiritum S. non esse distinctam à patre personam ergo Pater mittendo Spir. S. mittit seipsum! Quemadmodum ergo recte in sermo ex Joh. 5. v. 52. Pater est αλλος ὁ μαρτυρῶν Ergo est

est distincta persona. Similiter quia Spiritus S. itidem dicitur! **¶**
¶ **D**igno^m verè concludo esse illum distinctam personam.

13. 4. Ex actionibus personæ competentibus, personalitatem Spiritus S. ita confirmamus. Quicunq; descendit σωματικῶν ἔργον corporali specie *Luc. 3. v. 22.* appetit in forma linguarum ignearum *Aet. 2. v. 3. 4.* distribuit dona sua pro ut vult *i. Cor. 12. v. 11.* ordinat Ecclesiæ Episcopos *Aetor. 20. v. 28.* eosq; ad functiones munera Ecclesiastici obeundas mittit *Aetor. 13. v. 2. 4.* loquitur in Apostolis *Matth. 10. v. 20.* excitat in nobis novos motus & docet orare *Rom. 8. v. 26.* Ille verè est persona per se subsistens, priùs competit Spiritui S. vi allegatorum locorum Ergo

14. Neque alicujus ponderis est exceptio Catechismi Racoviensis p. 248. Scripturam sacram saepe tribuere res personæ proprias, alijs rebus quæ non sunt personæ dicentis, daß offe in der Schrifte etlichen Dingen das zugeschrieben wird / so eig. nlich einer Person zugescher vnd gleichwohl seyn die dinge keine Person. quod probat Catechesis allegato loco ex *Rom. 7. v. 11.* ubilex dicitur loqui, & scripturæ tribuitur prævisio *Gal. 3. v. 8.* & charitati quod benigna & longanimis sit &c. *i. Cor. 13. v. 4.* & vento quod spiret *Job. 3. v. 8.* Respondeo breviter, quia antea peculiari disputatione de Spir. S. copiosius ad singula responsum est. In his locis allegatis esse illationem a particulari. Quæ enim consequentia: aliquando ob certas rationes rebus inanimatis per usitatam **δεσμωμηται** tribuuntur attributa personarum. Ergo quando Spiritui S. attributa personarum in scriptura attribuuntur eadem est ratio. Proinde quando personarum attributa Spiritui sancto in scriptura assignantur, id non fit impropriè sed propriissime. Quod velinde constat quod simul voluntas *i. Cor. 12. v. 12.* & beneplacitum *Aetor. 15. v. 28.* Item attributa personæ *Rom. 15. v. 13. 19.* Spiritui sancto competant.

15. Conatur equidem Catechismus sententiam hanc verissimam dubiam reddere, eo quod Spiritui sancto talia tribuantur, personæ non competentia. Es werden in H. Schrifte dem H. Geist solche Dinge zugeschrieben welche einer Person keines Sinnes gehören; Id probatur quod Spiritus sanctus dicatur dari, *Aetor. 5. v. 32.*
i. Job. 4.

1. Job. 4 v. 13. vel cum mensura Eph. 4 v. 7. vel sine mensura Job. 3 v.
34. Argumentum si formaretur, in forma tale esset: Quicquid dicitur dari, id non est persona. At Spiritus sanctus dicitur dari. Ergo non est persona. Respon. ad majorem, illam non esse universaliter veram. Nam, fatentibus ipsis Photinianis, Christus est persona, & tamen mundo datur. Job. 3 v. 16. pii verâ fide illius sunt participes Heb. 3 v. 14. & de illius plenitudine nos omnes accipimus gratiam. Job 1. v. 16. In Minore distinguendum est, inter ipsum Spiritum sanctum & dona ejusdem, sive illa sunt visibilia & extraordinaria, sive invisibilia & ordinaria. Spiritus sanctus cum dari dicitur, dona illius intelliguntur, quod clare patet ex Acto. 10 v. 45. ubi super gentes donum Spiritus sancti effusum esse affirmatur. Et Petrus promittit resipientibus ac baptizatis donum Spiritus sancti Act. 2 v. 38. Observandus ergo Scripturæ canon: multa dicuntur de Spiritu sancto ratione vel gratiâ inhabitationis, vel doni extraordinarij visibilis, quæ non negant ejus personalitatem. Proinde pessima est illatio: Spiritus S. effunditur in homines ac datur dupliciter. Ergo non est persona; respectu enim diversorum donorum 1. Cor. 12 v. 4. talia dicuntur, quæ personalitati non opponenda.

16. Idecirco perperam colligit Catechismus: Spiritus sanctus uno tempore dicitur esse, altero vero non. Ergo non est persona. Respondeo, Locus Job. 7 v. 39. loquitur de visibilibus & miraculis, seu extraordinariis Spiritus sancti donis in ipso die pentecostes effusis. Christus enim promisit Job. 16 v. 7. quod post abitum ad Patrem missurus sit consolatorem Spiritum sanctum. Quia ergo Christus nondum fuit glorificatus, nondum erat Spiritus, sive dona illa visibilia & extraordinaria. Jam colligantur termini. Dona illa miraculosa Spiritus sancti non fuerunt priusquam Christus ad celos ascenderit. Ergo Spiritus sanctus non est persona per se subsistens. A negatione donorum miraculosorum, male infertur negatio personalitatis Spiritus sancti.

17. Nec alicuius momenti est quod objicitur 1. Tb. 5 v. 19. Spiritum sanctum dici extingui, quod personæ divinæ minimè competit. Nam extinguitur Spiritus S. quando peccatis enormibus executitur. Et alibi Scriptura aliis verbis idem exprimit Eph. 4 v. 30.
ne con-

ne contristetis Spiritum: ubi observandum, quod talia non solum
de Spiritu S. sed & Patre & filio rectissimè dicantur. Sic ergò Deus
extinguitur in impijs, quando ratione gratiæ longè ab ijs recessit.
Prov. 15. v. 29. nec cum illis est *Num. 1. 4. v. 42.* Qui servat sermonem
Christi, ad illum venit Pater *Joh. 14. v. 23.* Qui impietati studet, ab
illo recedit, id est extinguitur in illo homine *Ose. 9 v. 12.* Sicut ergò
id non tollit personalitatem Patris. Ita hac ratione Spirit. S. per-
sonalitas malè negatur.

18. Sed progeditur Catechesis Spiritus S. personalitatem im-
pugnare, quod naturaliter naturaliter non sit extra Deum, sed in Deo,
Syllogismus hic esset. Qui naturaliter est in Deo, ille non est perso-
na per se subsistens. At Spirit. S. naturaliter est in Deo. Ergò Re-
spondeo. Si major propositio vera, tū Christus, quod tamen adver-
sarij concedunt, non esset personz, de illo enim dicitur *Joh. 14. v. 10.*
20. Pater in me & ego in Patre. Item *c. 10 v. 30.* Ego & Pater unum
sumus. Spiritus S. ergò ita est respectu unitatis essentiaz in Deo, ut
tamen sit persona per se subsistens. Quod indicatur loco classico
i. *Joh. 5. v. 7.* ubi utrumq; dicitur. Hi tres unum sunt. Et *Joh. 10.*
v. 30. Ego & Pater ēv unum (unitate essentiaz.) ēσμ&v sumus. Qua
voce pluralitas personarum innuitur.

19. Verū urgetur à Catechesi locus *i. Cor. 2 v. 11* ubi Spiritus
S. cum Spiritu, qui est in homine, comparatur. Respondeo. Com-
parisonem Apostolicam largimur, illationem verò Photinianam,
personalitatem Spiritus S. ea proper negantem, inficiamur. Et
non sequitur: sit collatio spiritus hominis & spiritus Dei. Ergò si-
cuti spiritus hominis non est persona per se subsistens. Ita nec Spiritus
S. Nam collatio instituta, loco allegato, sit in certo tertio, in ipsa
scil. scientia. Non in omnibus partibus. Anne Photinianus conce-
deret si quis ita inferret. Spiritus Dei confertur cum spiritu huma-
no, spiritus humanus est finitus, non est æternus &c. Ergò Spiritus
Dei similiter talis. Quid hīc responsurus est Photinianus? Sibi ipsū
respondebit.

20. Nondum cessat Catechesis personalitati Spirit. S. sese op-
ponere, adducendo locum *Luc. 24. v. 49.* ubi Spir. S. virtus Dei di-
citur. Unde concluditur: virtus Dei non est persona à Patre distin-
cta.

Et. At Spiritus sanctus est virtus Dei. Ergo non est persona à Pare disticta. Respondco. Virtus Dei in sacris literis non uno modo sumitur, 1. enim σπίρος notat virtutem Deo competentem 2. Cor. 12 v. 9. 2. ψυχή πνεύμα notat personam divinam Luc. 1. v. 35. 1 Cor. 1. v. 24. 3. ἐνεργή πνεύμα designat vim quandam divinam in rebus creatis sepe exerentem, Actor. 1. v. 8. præsupposita ambiguitatis evolutione. Major absolute non procedit. Alias, enim sequeretur nec Christum esse personam, utpote qui & ipse virtus Dei dicitur, ut paulo ante dictum.

21. Tandem infert Catechismus, unam tantum esse personam divinam, quia sit una essentia, quæ multis personis simul communis esse nequeat. Et hinc spirit. S. non esse personam concludit. Respondeo. Exceptio hæc τὸ κενόπειρον continet, & ipsa fidei nostræ ἀκέπτωτη machina rationis, non Scripturae sacræ oraculis, agreditur. Ergo pari facilitate potest rejici. Quicquid enim ex Scriptura non assumitur, pari facilitate, qua asseritur, rejicitur. Quod si in mysterijs rationem judicem admitteremus, nullus ferme salvus & integer remaneret fidei articulus. Christus cum Sadducæis de resurrectione differens, non rationem, sed Scripturam Deique potentiam judicem controversiarum constituit, inquit enim: erratis, ne scientes scripturas neque virtutem Dei Matth. 22. v 29.

22. Probata personalitate, Deitas Spiritus S. facilius confirmari potest, quod & ipse Catechesis largitur, dicens p. 247. si Spiritus S. persona esset, sequeretur, illum habere divinam essentiam, quia in sacris literis talia opera illi attribuuntur, quæ divinæ essentiæ competunt. Ex qua concessione Catechismi desumimus primum Deitatis Spiritus S. argumentum. Cuicunque tribuuntur opera soli Deo propria, ille est verus Deus. At Spiritui S. in sacris tribuuntur opera soli Deo propria. Ergo Spiritus S. est verus Deus. Quæ nam in specie illa sint opera, passim apud hostes extant, & facile ex Scriptura illa erui possunt.

23. 2. Qui in sacris literis absolute, solitariè, sine ullâ limitatione vocatur Jehovah, sive יְהוָה, & propriè dicitur Deus, ille verus & eternus est Deus. At Spiritus S. absolute, solitariè, sine ullâ limitatione

tione vocatur Jehovah, & propriè dicitur Deus. Ergò Spiritus S. verè talis est. Major est certissimæ veritatis. Minor sequentibus patet locis Deut. 32. v. 12. בָּרוּ יְהוָה Dominus solus ducet eos. Esa. 63. v. 14. רַבְנֵי יְהוָה Spiritus Domini, requiescere fecit eos. Unde exsurgit hic syllogismus. Qui duxit Israelitas, est Jehovah. Deinde Qui locutus est per Prophetas & sanctos Dei homines est Jehovah. Hæc major Luc. 1. v. 68. 70. & singulis ferme Prophetarum constat oraculis, quid enim frequentius dicitur, quam נָאָמֶן יהוָה di-ctum Jehovah; tum etiam ex rei ipsius à Prophetis prædictæ patet sublimitate. At Spiritus S. locutus est per Prophetas & sanctos Dei homines 2. Sam. 23. v. 2. Matth. 10. v. 20. 2. Pet. 1. v. 21. Ergò spiritus est Jehovah.

24. In Novo Testamento appellatio Dei sapiens Spiritui Sancto attributa legitur 1. Cor. 3. v. 17 dicimus esse templum Dei, eò quod Spiritus Dei in nobis habitat. Ergò. Cujus templum sunt Christiani. ni ille est verus Deus 2. Cor. 6. v. 16. At Spiritus S. Christiani templum sunt. Ergò Spiritus S. est verus Deus. Sic 1. Cor. 12. v. 6. Deus dicitur in operibus illis miraculosis efficere omnia, qui v. n. dicitur unus ille & idem spiritus. Unde evidenter colligitur: Qui in operibus illis miraculosis omnia efficit, est verus Deus. Spiritus S. id facit. Ergò Spiritus S. est verus Deus. In loco classico Act. 5. v. 4. expressis verbis Spiritus S. dicitur Deus. Cum enim v. 3 Ananias argueretur, quod vellet fallere Spiritum S. partem pretij agri venditi suppri-mendo, subjungitur v. 4. non es mentitus homo inibus, sed D E O. Cuicunq; igitur Ananias, Apostolis exceptis, mentitus est, is est verus Deus. At Spiritui S. mentitus est. Ergò Spiritus S. est verus Deus.

25. Confirmata ratione instituti, breviter verà Spiritus S. Deltate, paucis quoque de ejusdem æterna processione agendum est. Græci, sicuti ex responsione primâ ad Articulos A Confessionis Patriarchæ Constantinopolitan. D. Jeremiæ videre est p. 57. Spiritum sanctorum à Patre procedere dicunt, quod si cum scriptura Joh. 15. v. 26. inclusivè intelligerent, nos contradicentes non haberent, sed cùm id exclusivè exponant, ut responsio secunda, antea citati Patriarchæ Constantinopolitan D. Jeremiæ, arguit, Spiritum sanctorum non solum à Patre, sed & filio procedere ita probamus. I. Qui est

non tantum Patris Matth. 10. v. 20. sed & filij Gal. 4. v. 6. Spiritus
Ille non solum à Patre, sed & filio ab æterno ineffabiliter procedit.
At Spiritus S. non tantum Patris, sed & Filij Spiritus est. Ergo quo-
que ab illo procedit.

26. In responsione secunda excipit Patriarcha Constantinopo-
litanus p. 210. quod dicatur Spiritus S. Christi Spiritus, quia cum ipso
ex una progrediatur essentia. Spiritus sanctus enim sicut ratione es-
sentiae sit Dei & Patris Spiritus; ita etiam Filij Spiritum esse ratione
essentiae, quia cum Filio essentialiter genito ex Patre ineffabiliter
procedat. Verum allegato loco ipse Patriarcha concedere neces-
sum habet, Spiritum S. dici Patris, quia ipsi proprius sit, & ex illo es-
sentiam habeat, verba ejus ita sonant: ἀλλα τοῦ μὲν πατρὸς λέγεται
ὡς ὁ θεὸς αὐτῷ, καὶ εἰς αὐτὸν ὑπαρχεῖν ἔχειν. Eadem ratione de fi-
lio dicendum, dici Spiritum S. Filij Spiritum, quia ab illo ἀφέγονται
procedat. Nulla enim alia ratio solida illius appellationis singi ne-
quit.

27. Frustra vero dicitur, Spiritum S. propterea dici filij Spir-
itum quia sit unius essentiae. Nam essentia est una & eadem in omni-
bus tribus personis, & tamen propter unitatem illam, Pater non
dicitur procedere à Spiritu sancto, neq; Filius dicitur Filius Spiritus
S. Manet itaque immotum, quia Scriptura sacra expressis verbis di-
cit Spiritum S. esse Christi Rom. 8. v. 9. Phil. 1. v. 19. 1. Pet. 1. v. 17.
sicuti alibi dicitur esse Patris Matth. 10. v. 20. illum ab utroque pro-
cedere. Et recte urgemos illud cum censore prædicto Patriarcha,
phrasim illa Spiritum sanctum esse filij, esse Patris, significet relatio-
nem ad productorem & auctorem. Neque valet instantia ejus-
dem, non omnia quæ aliorum esse dicuntur, relativa sunt. Nam
ex professo id nunc non disputamus, sed tantum naturam phrasis,
pro ut illa in sacris literis extat, inquirimus. Spiritus sanctus dicitur
Spiritus Patris, quia à Patre procedit. Idem spiritus in sacris dici-
tur Spiritus filij, propter eandem rationem, aut detur urgens alia
ratio, quod hactenus factum non est. Et hoc nostrum argumen-
tum ipse Patriarcha nominat difficilimum quod multum tor-
queat solventes p. 207. atque tantum de primo argumento.

28. 2. Ita

28 2. Ita colligimus. Quicunq; jus & auctoritatem habet una
cum Patre, mittendi Spiritum sanctum, ab illo quoque procedit Spiritus
sanctus. Atqui Christus, una cum Patre, jus & auctoritatem
habet mittendi Spiritum sanctum. Ergo utique ab illo procedit.
Persona enim non mittitur ab ulla alia, nisi à qua producta. Sic
Pater mittit Filium in mundum *Job. 10. v. 36 cap. 14. v. 5.* Et Christus
mittit Spiritum sanctum *Job. 14. v. 7.* quia filius à Patre ab æterno
genitus, & Spiritus Sanctus à Filio quoque procedit. Hinc rectè
Theol: urgent axioma: missio in tempore est consequens & mani-
festatio processionis æternæ. Pater à nemine mittitur, quia non
est à filio & Spiritu S. verum filius mittitur à Patre, quia ab illo ge-
nitus *Psal. 2. v. 7.* Spiritus S. à filio mittitur, itidem quia ab illo
procedit, sive essentiam suam habet.

29. Excipit Patriarcha, p. 203. missionem & processionem
non esse unum & idem, proinde à missione male inferri processi-
onem. Non ergo valere: Spiritus à filio mittitur. Ergo ab illo
procedit. Respondeo. Nostra argumentatio non fundatur in
eo, quasi missio in tempore facta, & processio ab æterno, sic
unum & idem: differre enim illa duo largimur. Interim hoc
manet firmum: qui in Trinitate mittit aliquam personam, ab illo
est persona illa missa. Argumentatio itaque nostra non habet
fundamentum in terminorum idem significantium qualitate, sed
potius in mutua consecutione, ita, ut, de quâ personâ Deitatis id
prædicatur quod mittat aliam, indicium sit & argumentum for-
tissimum, illam personam esse ab aliâ, sive per generationem, sive
processionem æternam. Pater enim sicuti à nullo est, à nullo
mittitur. Filius mittitur à Patre, quia est ab illo per æternam ge-
nerationem. Similiter Spiritus Sanctus mittitur à Filio, ergo est
à Filio; per æternam scil. spirationem. Missio enim in tempore
indicium est & manifestatio productionis ab æterno. Et persona
mittitur, non nisi ab illa, à qua producta, hinc quando Christus,
secundum humanam naturam, dicitur missus à Spiritu sancto ad
officium propheticum *Esa. 61. v. 1.* indigitatur, Spiritum sanctum
quoque efficaciter concurrisse ad Christi incarnationē, ut sine virili
semine

semine, ex sanguine Mariæ semper virginis perfectus generetur.
homo, de quo vide Matth. 1. v. 20. Luk. 1 v. 35.

30. 3. Quicunque id habet, quod Pater habet, ab illo quoque procedit Spiritus S. At Christus id habet, quod Pater habet. Ergo ab illo quoque procedit Spiritus S. Major evidenter est veritatis. Minor Job. 16. v. 15. fundatur: expressis enim verbis dicitur: omnia, quæcunque Pater habet, mea sunt. Sed excipitur ab adversa parte, id non de proprietatibus personas constituentibus dictum esse, sed de his quæ de totâ Trinitate prædicantur. Si enim de ambobus dicetur nihil absurdum dictum esse à Sabellio Trinitatem ad unam personam redigente. Respondeo. Non intelligi ea tantum quæ ad totam Trinitatem, sed quæ in specie ad processionem Spiritus S. pertinent, indicat versus antecedens, quo dicit Christus de Spiritu S. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis. Et statim subjungitur: omnia (notâ personali characteristicâ ~~æ~~ ^æ ~~verveox~~, ob Sabellij errorem, exceptâ) quæcunque Pater habet mea sunt. Quicquid ergo Pater habet, exceptâ characteristicâ notâ personali, (ob vocem Patris) id habet & filius. At Spiritum S. à Patre procedere, Pater habet. Ergo idem habet & filius.

31. Patriarcha contra hanc sententiam militat hoc imprimis discursu p. 211. si immediate ex utroque procedit: omnino hoc aut tanquam ex uno fonte aut tanquam è duobus. Si tanquam ex uno ad numerum è Patre & filio progreditur: Unum numero erit id quod Spiritum profert. Erit itaque Pater & Filius unus numero productor & auctor Spiritus S. Quare una erit Patris & filii persona sublatâ Trinitate, jam ad duernionem redacta. Respondeo Argumentum objectum, respicit processionis Spiritus S. rationem, & modum, quem, sicuti generationis filij, inenarrabilem esse arbitramus. Hinc eleganter Chemnit. ex Nazianzeno dicit cap. de Spir. S. p. 254. Dic tu mihi quid sit generatio, & ego dicam tibi quid sit processio, ut ambo insaniamus Dei decreta rimando. In specie ut aliquid respondeatur, unitas essentiaz, quæ est inter Patrem & Filium, non debet pluralitati personarum opponi. Potest igitur Pater & Filius dici unus productor ratione essentiaz, non autem respectu personæ. Nec hinc sequitur: si ex duobus procedit, duo prima erunt principia.

principia. Nam in hoc Trinitatis mysterio tales conclusiones, rationi quidem consentaneas, non habere locum, vel ex solo symbolo Athanasij videre est. Quo brevitatis gratia lectorum remittimus.

32. Tandem Patriarcha Constantinopolitanus provocat ad auctoritates, p. 212. l. inquit, Filius produceret spiritum, & ejus esset auctor: qui fieri potuisset, ut ab Oecumenicis Synodis, hoc ita necessarium dogma silentio præteriretur. Et allegat Patres Spiritu Dei afflato, quorum splendor in sacris Synodis enituerit, qui supra solem miraculis undique inclaruerint. Respond. ab auctoritate humana negativè firmiter non concluditur. Deinde quoque notandum, quod illorum tempore hæc controversia non sit mota, postquam enim Synodus Nicæna illa solum haberet verba. Et in Spiritum S. & postmodum exortæ sunt controversiæ plures, addita sunt in concilio Constantinopolitano, quæ sequuntur: Dominum & vivificantem, qui ex Patre filioq; procedit, &c.

33. Atqui hæc hac vice, de præcipuis materiæ hujus controversijs, breviter dicta sunt. Nos igitur hic concludentes Spiritum S. omnis vera sanctitatis auctorem unicum, submissè invocamus, ut corda nostra indeq; resultantes actiones, peccatorum fuligine plurimum commaculata purgare dignetur, ne seculo hoc conclamato, moribus mundi impij conformemur, nobisque pñnas tantis sceleribus dignas attrahamus, sed potius ductum Spir. S. secuti, verbo Dei quæ sit bona ejus voluntas discamus, utpote scientes amicum mundi, esse inimicum Dei Jacob 4. v. 4. Hoc quisquis mundi filius non credit, magno cum & irrecuperabili damno, suo tempore id experietur, nemo ergo h̄ic erret, Deus non irridetur! Gal. 6. v. 7.

SOLI DEO GLORIA.

Ornatissimo Dn. Respondenti.
Sicilicet hic animis opus est. Spectore firme,
Nec non ingenii præstante vigore per artes
Versati omnigenas, Sacra oracula docti;
Si quis ad ingentem cupiat descendere pugnam
Photini adversus socios; quos n^{on} m^{er}e Socini
Utriusq^{ue} acuit labor improbus, ingeniumq^{ue},
Plus quam dicerè cui liceat versatile ad omnem
Pugna conatum: quos catus Racoviensis
Collectos tanquam in gremio nutritivit. Earmis
Amplius instruxit, latum hinc ut missa per orbem
Adimina densa sua certarent prælia pugna.
Si LENARDE mihi jam quinto cognite ab anno
Et dilecte, ille es, quem promiserem mihi isto
Tempore nota tui studii primordia, quemq^{ue}
Nominis esse sui juvenem patriaq^{ue} queamus
Dicere; non frustra hac tibi tu certamina sumis:
Quando Leoninum tibi cor pectusq^{ue} virile
Nomen utrumq^{ue} tuum promittit; patria vero
Omnibus ingenii sc^{ol}audibus inclita Cartis,
Ipsiusq^{ue} sacra scriptura & cognitione
Nescio apud quos non celebratur, ut hinc quoq^{ue} de te
Omnia sit proclive mihi promittere magna.
Faxit sancta Trias, totum hoc certamen honori
Serviat ipsius, teq^{ue} ampla laude coronet.

Ex animo gratulabar
M. JEREMIAS NIGRINUS.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn739744097/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739744097/phys_0019)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn739744097/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739744097/phys_0020)

DFG

principia. Nam in hoc Trinitatis mysterio tale
tioni quidem consentaneas, non habere locum, v
Athanasij videre est. Quo brevitatis gratia lector

32. Tandem Patriarcha Constantinopolita
auctoritates, p. 212. si, inquit, Filius produceret sp
auctor: qui fieri potuisset, ut ab Oecumenicis S
cessarium dogma silentio præteriretur. Et all
Dei afflato, quorum splendor in sacris Synodis e
solem miraculis undique inclarerint. Respon
humana negativè firmiter non concluditur. De
tandum, quod illorum tempore hæc controver
postquam enim Synodus Nicæna illa solum hab
SpititumS. & postmodum exortæ sunt controve
sunt in concilio Constantinopolitano, quæ sequ
& vivificantem, qui ex Patre filioq; procedit, &c

33. Atqui hæc hac vice, de præcipuis materi
lijs, breviter dicta sunt. Nos igitur hic conclu
omnis veræ sanctitatis auctorem unicum, subm
corda nostra indeq; resultantes actiones, peccate
rimum commaculata purgare dignetur, ne secu
to, moribus mundi impij conformemur, nob
sceleribus dignas attrahamus, sed potius ductum
bo Dei quæ sit bona ejus voluntas discamus, ut
cum mundi, esse inimicum Dei Jacob 4. v. 4. H
filius non credit, magno cum & irrecupera
tempore id experietur, nemo ergo hic
non irridetur! Gal. 6. v. 7.

SOLI DEO GLOR

